



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 44. Historia de Secta Anabaptistarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

§. XLIV.

Sæcul. XVI.
A. C. 1523.*Historia de secta Anabaptistarum.*

Sub idem tempus in Germania orta est
 alia hæresis, quæ ipsa Lutheri secta
 magis adhuc fanatica funestos admo-
 dum tumultus fuscitabat. Vocabatur
 ea Anabaptistarum Hæresis, quod no-
 men illis tribuebat præcipuus Sectato-
 rum error; nam hi omnes in infantia
 Baptizatos rursus sacro fonte asperge-
 bant, ac baptismum parvulis collatum
 damnabant. Controversum est inter
 Scriptores tempus, quo hæresis ista or-
 tum accepit, nec certum habetur no-
 men illius, qui primus hujus factionis
 Auctor extitit. Referunt nonnulli, Bo-
 hemos Hussitas jam anno Domini mil-
 lesimo quingentesimo tertio prima illius
 fundamenta jecisse, ex aduerso con-
 tendunt alii, & quidem non abs re,
 prima hujus Monstri incunabula refe-
 renda esse ad tempora Lutheri, ex cujus
 suggestione, consilio, & opera famosi
 duo ejusdem Discipuli Thomas Mün-
 sterus, Cygneæ, quodam Misniensis Mar-
 chionatus oppido natus, & Nicolaus
 Storchius de Stolberga in Saxonia novæ
 feditionis incendium excitarunt, quam-
 vis postea a suo Magistro defecerint, ob-
 tendentes, illius doctrinam minus esse
 S 5 perfe-

Flor. Ræm.
Orig. hæres.
l. 3. c. 1. Et seq.
Spond. ad
an 1527. n. 12
Arnold.
Meshev. hist.
Anabapt.
Sleidan. l. 4.
Et 5.
Chrytr. Sax.

l. II.

Sæc. XVI.
A.C. 1523.

perfectam. Hi ergo ambo, cum novam sectam conflare molirentur, sanctitatis, ac vitæ asperioris specie, quam egregie mentiebantur, quamplurimos decipiebant, docebantque, nonnisi sequendas esse revelationes, quas in orationis exercitio a Patre Cœlesti recepturi essent. Spernebant etiam leges tum Ecclesiasticas, tum profanas, ipsaque Sacramenta, cultumque Religionis externum flocci habebant. Nec minus detestabantur infantum Baptisma, omnesque, quotquot factioni suæ nomen dederant, sacro rursus lavacro tingebant; unde Anabaptistæ dicebantur. Ingens præterea odium in Magistratus, Principes, ac Nobiles suis inspirabant, eisque persuadebant, quod omnia bona singulis existant communia, cunctique homines a natura liberi, nulliusque dominio obnoxii fuerint geniti. Denique felix spondebant imperium, in quo ipsi, extirpatis omnibus impiis, soli regnaturi essent.

§. XLV.

Storchius & Müncerus, Anabaptistarum Coriphæi Wittembergæ expulsi.

Præterea, ut Discipulos suos ad recipiendum Spiritum Sanctum aptos red-